

aut consuetudine firmari possit. Non potest exigi indemnitas ex mutuo, si nullum concurrat periculum fortis. *Fromageau.*

Nota. Cum illustria tribunalia usu & sapientia præstantia, ut merito supponitur, centum ex pecuniis pupillaribus mutuo datis sua auctoritate probeant ac roborant, non est præsumendum, eum omni iusto titulo destitui. Vide *Ujura.*

Q.

QUADRAGESIMA.

1. *Quadragesimæ* vocabulo designantur quadraginta sex dies præcedentes festum Paschatis, quorum dierum spatio fidelibus Ecclesia jejunium præcipit; & quemcumque carnis esum sine legitima causa & dispensatione interdicit.

2. Patres identidem declararunt, jejunia nihil prodesse, nisi pravæ cupiditates compescerentur, & ad proprium officium & orationem diligentius incumberetur. Quia porro nemo unus est, qui, nisi omnino non possit, se a pœnitentia eximere debeat, certum est, eos omnes, qui jejunium servare valent, ad id obligari.

CASUS I. Castulus homo ditissimus quotidie tempore quadragesimali opipare prandet, eaque lautitia tam in cibo quam in potu, ut ampliorem nemo dives, quisquamque sit, desiderare posset. Violatne jejunium ab Ecclesia præceptum, etsi tantum unicam hanc sumat refectionem, & quidem honesta consuetudine?

3. Non violat quidem jejunium; peccat tamen contra temperantiam, agitque contra rationem pœnitentiæ, quæ hujus præcepti finis est. *Intentio Ecclesiæ est,* inquit *Tostatus* in c. 6. Matth. q. 166. *homines per jejunium affligere, & ad hoc determinavit modum, qui est abstinere a talibus cibis, & semel tantum comedere. Licet ergo quis non affligat se ipsum, dum semel tantum comedat, & abstineat a cibis vetitis, non frangit jejunium, licet agat contra intentionem legislatoris.* *Fromageau.*

CASUS II. Titius habet licentiam in Quadragesima vescendi carnibus; eoquod cibi esuriales obliunt ipsius valetudini; sed omnino non jejunat. Num peccat?

3. Peccat graviter; quia præceptum jejunandi in Quadragesima, & præceptum abstinendi a carnibus sunt distincta præcepta, ita ut ad unum quis maneat obligatus, etsi quo-

ad

ad alterum sit dispensatus. Hinc si Titius vescens carnibus non sentiret detrimentum sanitatis suæ, unicam tantum sumendo refectionem, peccat contra præceptum jejunandi sumendo duplicem. Ita S. Thomas in 4. dist. 15. art. 5. C. B.

CASUS III. Amadeus paterfamilias, qui habet licentiam vescendi carnibus in Quadragesima, petit a medico, ut licentiam hanc extendat ad totam suam familiam, ne diversi generis cibos majoribus impensis ministrare teneretur. Licetne hoc?

3. Non licet; quia paterfamilias iste petit aliquid a medico, quod nullatenus ille concedendi jus habet: medici enim solum est judicium ferre de morbis, constitutione corporis ac statu valetudinis; neququam autem is determinare potest, utrum familia quædam sit adeo pauper, ut non possit diversi generis cibos sibi comparare. C. B.

QUIETISMUS.

Quietismus consistit in erroribus discipulorum Michaelis de Molinos contentis in libro, cui titulus: *Communio Spiritualis*, in quo adstruitur, sublimissimam perfectionem consistere in oratione quieta, quæ nihil aliud est, quam simplex contemplatio absque ulla reflexione.

CASUS. Scaliger legit librum, cui titulus: *Communio Spiritualis*, ejusque perversa sequitur dogmata. Quid agendum hominis hujus confessario?

3. Liber iste, utpote continens doctrinam falsam & temerariam, est damnatus, ac consequenter omnium manibus eripiendus. Qui ejusdem sequitur prava dogmata, in manifesto errore veritatur; & non solum confessarius ejusdem lectionem suis pœnitentibus prohibere tenetur; sed etiam, & multo magis, ipsismet confessariis interdicendus est illius usus ad directionem animarum. *Fromageau.*

R.

RAPTUS.

1. *Raptus* est violenta abductio personæ ex loco in locum matrimonii contrahendi causa. D. Thomas docet, raptum committi etiam tunc, dum persona abducitur invito patre, etsi ipsa in abductionem consenserit. Qui cooperantur ad

M 5

rap-

raptum, æque ut ipsi raptores per leges civiles poenæ mortis subiciuntur.

2. Juxta Innocentium Cap. *Accedens*. 7. Lib. 5. Tit. 17. matrimonium inter raptorem & raptam habetur pro legitimo, quando apparet, intervenisse postea consensum reciprocum absque suspitione ullius violentiæ ac doli: *Rapta puella legitime contrahet cum raptore, si prior dissensio transeat postmodum in consensum, Et quod ante displicuit, tandem incipiat complacere; dummodo ad contrahendum legitimæ sint personæ.*

3. Raptus alius est *violentus*, alius *voluntarius*, qui etiam vocatur raptus per *seductionem* vel *subornationem*; hic quoque, licet minus criminis habeat, severissime tamen punitur.

CASUS. Estne eadem ratio raptus, si ve rapiatur puella aut foemina a masculo, si ve masculus a puella aut foemina?

3. Foemina aut puella rapiens adolescentem rea est raptus, sicut masculus puellam rapiens. In hujusmodi casibus semper intervenit seductio & subornatio ex parte foeminae; & hæc seductio matrimonium reddit nullum. *Fromageau.*

Vide *Impedimentum Raptus.*

RELIGIO.

1. Vocabulum *Religio* interdum accipitur pro monasterio vel communitate religiosa aut conventu, quandoque pro ipsa professione vitæ regularis, non nunquam etiam adhibetur ad denotandam hominis pietatem ac integritatem.

2. In proprio suo sensu religio est virtus moralis inclinans voluntatem creaturæ rationalis ad exhibendum Deo cultum patriæ debitum.

3. Neque vero virtus tantummodo moralis est religio, dum dirigit mores secundum leges rationis & justitiæ; sed etiam inter cæteras quascumque virtutes primum locum obtinet. Imo, quamvis non sit virtus theologica, eoquod Deum non respiciat tanquam objectum suum immediatum, licet ad Deum tendat ut finem suum proprium, & versetur potissimum circa cultum Deo debitum; proxime tamen accedit ad rationem virtutis theologice; quia justum cultum Deo defert ut tributum a creatura Creatori præstandum.

4. Actus religionis sunt vel interni vel externi, ut 1. adoratio Dei. 2. Servitium Deo exhibitum cum vero pietatis affectu ac fervore charitatis, quæ juxta S. Augustinum est

est

est inseparabilis a vero Dei cultu: *Pietas cultus Dei est*, inquit, *nec colitur ille nisi amando.* 3. Oblatio precum & sacrosancti Sacrificii. 4. Votorum nuncupatio. 5. Invocatio Dei in testem per legitimum juramentum ad assecurandam rei assertæ veritatem.

5. Vitia virtuti religionis opposita maxima ex parte sunt idololatria, impietas, blasphemia, magia, maleficium, divinatio, sacrilegium & superstitio.

6. Quamvis religio solum Deum spectet ut primum objectum, non tamen excludit cultum B. Virginis, Angelorum & Sanctorum, quos honoramus & precibus nostris invocamus tanquam amicos Dei, nostrosque ad supremam Dei majestatem intercessores; ita ut, sicut religio exigit, ut veneremur Reliquias & Imagines Sanctorum relative ad ipsos, sic etiam exigit, ut honoremus ipsos Sanctos propter eorum eminentiam ac sanctitatem relative ad Deum, qui omnis eminentiæ ac sanctitatis fons est atque principium.

7. Omnes populi ac nationes in hoc mundo habent aliquam speciem religionis; hic tamen solum agatur de religione Christiana, & examinabitur, quandonam liceat occultare suam religionem, ac quandonam detur obligatio eam manifestandi.

CASUS I. Marcellinus catholicus in regione constitutus hæretica, ubi vera religio persecutioni est exposita, in pluribus occasionibus dissimulat, se esse catholicum, licet gloriosum ipsi fuisset profiteri religionem suam. Estne coram Deo peccati reus?

3. Non est absolute necessarium ad salutem semper publice profiteri suam fidem ac religionem coram hæreticis eandem persequentibus: in certis tamen occasionibus id omnino necessarium est, ut 1. si quis tanquam catholicus in vincula coniectus a magistratu vel iudice de sua religione interrogaretur. *Sed in casu*, inquit S. Thomas in 4. dist. 49. q. 5. art. 3. quæstiunc. 2. ad 1. *est de necessitate salutis, quando scilicet aliquis a persecutore deprehensus de fide sua requiritur, quam confiteri tenetur.* 2. Quando religio sine læsione honoris & gloriæ Deo debitæ occultari non possit, *Quando scilicet, ait idem 2. q. 3. art. 2. C. per omissionem hujus confessionis subtraheretur honor debitus Deo.* 3. Dum agitur de salute ac bono spiritali proximi, aut etiam utilitas proximis impendenda, puta si aliquis interrogatus de fide taceret; *Et ex hoc crederetur, vel quod non haberet fidem, vel quod fides non esset vera, vel alii per ejus taciturnitatem averterentur a fide.* In hujusmodi casibus

casibus

casibus, subnectit ibidem S. Thomas, confessio fidei est de necessitate salutis. Pontas.

CASUS II. Gordius ob varia negotia per tres menses detinere se cogebatur in provincia, ubi persecutio grassabatur in catholicos: hinc vestem induit ministris hæreticis usitatum, ne agnosceretur, quod esset catholicus, sed hæreticus esse crederetur. Potuitne id fieri absque peccato?

Quamvis de se peccaminosum non sit vestes induere ad morem alliarum nationum, si id prava intentione non fiat; prægrande tamen peccatum est, si fiat animo præferendi professionem cujuscumque falsæ religionis, ut Tertullianus docet *de idololatria* c. 18. Gravissime ergo peccavit Gordius juxta authorem Conferentiarum Andegavenium mense Majo 1713. q. 3., quod commodum suum temporale perfide prætulerit religioni suæ, alienissimus ab illo Eleazaro Machabæo. Pontas.

CASUS III. Valerius catholicus deprehensus in quadam regione, in qua sub pœna capitis interdicitur est exercitium religionis catholicæ, in custodiam traditur, & coram magistratu de hoc exercitio accusatur. Teneturne aperte profiteri fidem suam, utut certo sciat, pœnam mortis sibi fore subeundam? An non evitandæ mortis causa saltem responsione æquivoca uti poterit?

Indispensabiliter tenetur profiteri fidem suam, nec absque peccato gravissimo aut filere, aut æquivocationis beneficio uti licet, etsi de subeundæ mortis supplicio foret certissimus: *corde enim creditur ad justitiam, ore autem confesso fit ad salutem.* Rom. 10. v. 10. Innocentius XI. 2. Martii 1679. hanc perniciosissimam cujusdam casuistæ doctrinam damnavit dicens: *Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo & fidei gloriosum consulo; tacere, ut peccaminosum per se non damno.* Pontas.

Vide *Fidos. Monasterium. Monialis. Professio religiosa Religiosus.*

RELIGIOSUS.

1. Proprie loquendo *Religiosus* dicitur, qui emisit professionem solemnem votorum castitatis, paupertatis, & obedientiæ in religione ab Ecclesia, vel a summo Pontifice approbata. Religiosus, ut observat Rebuffus, novem diversis vinculis ligatus tenetur: scilicet 1. voto castitatis, quo refrenatur luxuria. 2. voto paupertatis, quo appetitus inordinatus coercetur ad bona temporalia. 3. voto humilis obedi-

dientiæ, quo superbia reprimitur. 4. obligatione ad vitam communem, qua invidia coarctatur. 5. vinculo sobrietatis ac mortificationis, quæ virtutes opponuntur gulæ, luxui & incontinentiæ. 6. vinculo charitatis, quo ligantur passiones, præsertim motus iracundiæ. 7. adstrictione ad silentium, quo lingua ligatur, ne in maledictiones erumpat & murmurationes. 8. labore manuum & intellectus, quo omnis acedia ac otiositas repellitur. 9. denique vili abjecto vestitu Religiosis proprio, quo conservatur modestia ac humilitas, vanaque arcetur gloria.

2. Nomine Religiosorum veniunt etiam novitii habitum Ordinis gestantes durante anno probationis.

3. Religiosus est persona mundo mortua, cujus occupatio unice versatur circa cultum divinum, & curam salutis propriæ ac proximi, si hæc ipsi ab Episcopo commissa est, aut aliorum Religiosorum subditorum, amandatis procul a se negotiis sæcularibus. *Monachus*: inquit Papa Eugenius Can. *Placuit* 8. 16. q. 1. *mundo mortuus est, Deo autem vivit.*

4. Nihilominus authores celeberrimi testantur, Religiosos admissos fuisse ad varia munia & dignitates in Ecclesia v. g. Vicarii generalis aut Officialis: alii tamen authores excludendos esse existimant Mendicantes ab ejusmodi prærogativis, utpote professioni illorum non convenientibus, saltem absque dispensatione.

5. Gelasius Papa Can. *Si quis* 28. 16. q. 1. statuit; ut Episcopus sacerdotium conferat Religioso digno ad instantiam sui Abbatis, cujus opera dein uti possit ad omnes functiones sacerdotales.

6. Religiosus cum licentia sui Superioris potest esse executor testamenti; sed non facile permittitur, ut in ejusdem potestate detineantur bona mobilia testatoris.

7. Quælibet persona religiosa potest ex bonis feudalibus homagium præstare domino feudi ob Beneficium vel monasterium, cui præest.

8. Religiosus beneficiatus potest absque violatione voti paupertatis disponere de fructibus sui Beneficii ad mentem sacrorum canonum & Ecclesiæ.

9. Religiosus non potest transire ad alium Ordinem, nisi strictiorem, absque dispensatione Papali, ab Officiali diœcesano servato juris ordine verificanda & executioni danda; teneturque in novo Ordine, sive strictiore sive laxiore, sustinere novum probationis annum, eoque finito de novo profiteri.

10. Religiosus non licet prædicare verbum Dei etiam in propriis suis ecclesiis absque licentia Ordinarii.

11. Religiosus ad Episcopatum promotus non potest succedere suis propinquis, saltem in Gallia; nec etiam quidquam acquirat pro suo monasterio, sed solum in commodum episcopatus sui.

12. Religiosus illegitimis natalibus ortus per professionem solemnem legitimitur quidem; absque speciali tamen dispensatione promoveri non potest ad officia publica Ordinis.

13. Provocatio ad superiorem judicem a Religioso facta in materia disciplinæ regularis, & emendationis morum non sortitur effectum suspensivum, sed tantum devolutivum.

14. Prælati aut Prior claustralis nullum potest admittere novitium sine consensu Capituli.

15. Religiosus ante professionem suam per testamentum potest disponere de bonis suis; non tamen sibi reservare potest ullam pensionem vitalitiam; quia ejusmodi reservatio prorsus adversatur voto paupertatis, quo se obstricturus est.

16. Nulla hic mentio fit de pluribus Congregationibus secularibus; quia viventes in iis non sunt veri Religiosi, & vel vota edunt tantum simplicia, ut Missionarii S. Lazari, vel nullum prorsus emittunt votum, ut presbyteri Oratorii, qui pro suo arbitrio Congregationi valedicunt.

CASUS I. Pammachius viduus habet liberos teneræ adhuc ætatis, qui pro sua educatione & elocatione curis ipsius paternis vel maxime indigent. Potestne religioni nomen dare, liberis divinæ providentiæ relicto?

ꝑ. Si nec consanguineos nec amicos habent, qui possint & velint in se suscipere curam horum liberorum, tuta conscientia nequit eos derelinquere. *Non licet alicui filios habenti, ait D. Thomas 2. 2. q. 189. art. 6. C. religionem ingredi, omnino prætermissa cura filiorum, id est, non proviso qualiter educari possint.* Ratio est 1. quia illos ita destitutum, ut ex parte sua ad ipsorum necessitates nihil contribueret, idem esset ac tentare Deum, & ab eo aliquod miraculi genus expectare. 2. Quia obligatur jure naturali ac divino ad liberos suos nutriendos, promovendos, juvandosque, quantum est possibile. Idem S. Doctor dicit de eo, qui religionem ingrederetur, & patrem suum relinqueret indigentem, cui tamen in sæculo labore suo ac industria succurrere posset. *Pontas.*

CASUS II. Martinus peritissimus artifex pauperes habet parentes, jam plane impotentes comparando sibi victui. Potestne iis Dei providentiæ relicto religionem ingredi?

ꝑ. Juxta D. Thomam 2. 2. q. 101. art. 4. ad 4. non potest: id enim esset vera tentatio Dei. Clemens VIII. in Bulla, *Regularis*, decernit, omnes ad Novitiatum admitti postulantes super hoc articulo interrogandos: *An & eorum parentes ope-*

ra

ra & subsidio eorum indigentes desituantur. Nihilominus idem S. Doctor Quodlibet 10. art. 9. C. dicit, quod talis posset ingredi religionem, si videat, se in sæculo non posse vivere sine peccato mortali. Hæc autem hypothesis videtur metaphysica, & de raro contingenti. *Pontas.*

CASUS III. Scipio militiam professus, debitisque supra modum oneratus potestne religionem ingredi non solutis antea debitis,posito quod sit solvendo? Vel si non est solvendo, an tenetur remanere in sæculo, & pro viribus laborare, ut creditoribus satisfaciatur?

ꝑ. Non potest religionem ingredi, nisi exsolutis omnibus debitis, si facultates suppetant ad id præstandum. Si vero non sit solvendo, nec unquam se futurum prævideat, tenetur juxta D. Thomam 2. 2. q. 189. art. 6. ad 3. saltem facere, quod potest, nempe cedere bonis suis in favorem creditorum; & sic potest ingredi religionem. Idem ipsi licet, si in sæculo constitutum se cernat in morali impotentia consequendi salutem; etsi nihil prorsus possideat, quo creditoribus satisfacere possit. Si tamen arbitretur, se intra breve temporis intervallum in eum statum deveniturum, ut omnia possit expungere debita, videtur obligari ad differendam in aliud tempus propositi sui de ingredienda religione executionem: professio enim religiosa est solum de consilio; obligatio autem solvendi debitum est de præcepto, ac de jure naturali. Et in hoc sensu intelligenda est Bulla 71. Sixti V. de anno 1587. qua Papa prohibet ad religiosam professionem recipi eos, qui necdum omnia sua persolverunt debita. *Pontas.*

CASUS IV. Sigebertus Religiosus satis frequenter transgreditur observantias exteriores a regula & constitutionibus Ordinis præscriptas. Peccatne mortaliter?

ꝑ. Si transgressio ista non concernit illas observantias exteriores, ad quas obligatur vi votorum professionis religiosæ, nec intervenit contemptus formalis, non erit mortaliter peccaminosa juxta S. Thomam 2. 2. q. 186. art. 9. C. Frequentiores tamen transgressiones etiam minutissimarum constitutionum vel disponunt ad contemptum, vel contemptum saltem interpretative produunt. *Pontas.*

CASUS V. Theodatus & Cornelius Religiosi professi, primus Ordinis S. Dominici, alter S. Benedicti, suas regulas ac constitutiones quandoque non observant. An semper peccant, saltem venialiter, si id fiat ex indevotione aut negligentia?

ꝑ. Juxta S. Thomam 2. 2. q. 186. art. 9. ad 1. Theodatus Ordinis S. Dominici non peccat, si observantiæ illæ, quibus deest, non versantur circa essentialia religiosæ professionis,

si

si non sunt expressæ præcepta a Superiore, & si easdem non transgreditur ex contemptu. Sed non est eadem ratio respectu Cornelii Benedictini: licet enim hic non peccet, dum agit contra regulam suam circa ea, quæ ab eadem non aliter præscribuntur, quam per modum piæ ac salutaris ordinationis tantum sub pœna obligantur, peccat nihilominus per omissionem eorum, quæ a regula statuuntur per modum præcepti; peccatum autem est tantum veniale. *Non profitentibus quidem, ait S. Bernardus de Præcept. & Dispens. c. 1. monita tantum seu consilia censenda sunt, nec gravant non observata; cum tamen profitentibus in præcepta, prævaricantibus in crimina fiant.* Foret tamen etiam peccatum mortale, si negligentia vel indevotio conjuncta esset cum contemptu saltem interpretativo, aut si accederet scandalum. *Pontas.*

CASUS VI. Placidus Religiosus Benedictinus interdum vescitur carnibus, licet nulla detineretur ægitudine. Peccatne mortaliter in locis, ubi inter Benedictinos viget abstinentia a carnibus?

ꝛ. Si abstinentia a carnibus non est præceptum formale, sed solummodo res meræ disciplinæ, non peccat mortaliter, excepto casu expressæ inobedientiæ erga Superiorem, vel casu scandali. *Abstinere autem a carnibus, inquit Doctor angelicus Quodl. 1. art. 20. non ponitur in regula B. Benedicti ut præceptum, sed ut statutum quoddam; unde monachus comedens carnes non ex hoc ipso peccat mortaliter, nisi in casu propter inobedientiam, vel contemptum.* Idem habet 2. 2. q. 186. art. 9. C. Non autem hic sermo est de quibusdam Congregationibus Benedictinorum, quæ ex hoc puncto disciplinæ fecerunt præceptum formale, in rigore sumentes hæc verba regulæ S. Benedicti Cap. 39. *Carnium vero quadrupedum omnino ab omnibus abstinetur comestio, præter omnino debiles & ægros; & alia c. 36. At ubi meliorati fuerint, a carnibus more solito omnes abstineant.* *Pontas.*

CASUS VII. Gontranus Religiosus professus, necdum sacris Ordinibus initiatus, totus occupatur circa ingens opus a se elucubrandum pro bono Ecclesiæ. Licetne omittit Horas canonicas? Teneturne ad recitationem Breviarii sub reatu peccati, maxime dum versatur extra monasterium?

ꝛ. Quilibet Religiosus professus tenetur vi professionis solemniter recitare Breviarium: nec studia, nec absentia a monasterio poterunt eum eximere ab hac obligatione; peccatque mortaliter, nisi satisfaciatur. *Tenentur ad Horas Religiosi professi, ait S. Antoninus 3. part. Summæ Theol. Tit. 13. c. 4. §. 1. & hoc ratione suæ professionis; quia non solum sunt insti-*

instituta hujusmodi Religiones ad orandum particulariter pro se; sed etiam ad orandum pro universali utilitate fidelium. *Pontas. 1*

CASUS VIII. Auxilius Religiosus Ordinis reformati immiscet se interdum negotiis temporalibus suæ familiæ, vel quorundam amicorum suorum quorum causas quandoque urget, easque commendat judici. Potestne id fieri absque peccato?

ꝛ. Clericis sæcularibus non licet implicare se negotiis sæcularibus, multo minus Religiosis; si id fiat ex motivo avaritiæ vel proprii interesse. *Causa cupiditatis, ait S. Thomas 2. 2. q. 187. art. 2. C. sæcularia negotia gerere nec monachis nec Clericis licet.* Verum juxta eundem S. Doctorem possunt ejusmodi curare negotia de licentia Superioris ex solo motivo charitatis, & absque ullo respectu ad commodum proprium: *Causa vero charitatis, ait ibid. se negotiis sæcularibus cum debita moderatione ingerere possunt, secundum Superioris licentiam in ministrando & dirigendo.* *Pontas.*

CASUS IX. Josephus Religiosus pensionem recipit viduitatis 75. florenorum, quam ad manus proprias sibi traditam apud se servat, ad privatas suas necessitates expendit, deque eadem ditponit absque licentia sui Superioris. Peccatne contra votum paupertatis?

ꝛ. Juxta decretum Concilii Tridentini Sess. 25. de Regular. c. 2. peccat mortaliter. Ex eodem decreto etiam colligitur, quod nec ipsi Superiores alicui Religiosorum suorum possint permittere usum ac fructum bonorum stabilium ac permanentium. *Nec deinceps liceat Superioribus, ait, bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad usum fructum, vel usum, administrationem, aut commendam. Administratio autem bonorum, monasteriorum seu conventuum ad solos Officiales eorundem, ad nutum Superiorum amovibiles pertineat.* *Pontas.*

CASUS X. Marcus Religionem professus constituta a patre suo 100. florenorum pensione vitalitia gaudet pro privatis ac personalibus necessitatibus, & quidem permittente Superiore. Cum vero pater ipse post quinquennium aut sexennium ad angustiorem fortunam radactus fuisset, rogat familiarium, ne ultra a se exigat pensionem, quo facilius rei familiaris onera sustinere posset. Licetne Marco pensionem penitus condonare patri absque licentia Superioris sui?

ꝛ. Juxta Sylvium resol. var. v. Religiosus. 5. Marcus utpote Religiosus professus non habet jus condonandi pensionem hanc absque expresso consensu Superioris sui. Ratio est; *Dist. Cas. Conf. Tom. III.* N
quia

quia hæc pensio per professionem solemnem Religiosi jam acquisita est monasterio : nullus autem Religiosus privatus in particulari potest disponere de bonis monasterii, sicut nec ea possidere potest ut propria, utpote incapax ad hoc per votum paupertatis. *Pontas.*

NOTA. Si pensio hæc constituta est in favorem monasterii ad parcendum ejus sumptibus, optime fuit responsum. Si vero tantum servit ad inutiles ac superfluas expensas Religiosi, variasque singularitates vitæ communi ac regulari disciplinæ inimicas; & insuper si administratio penitus relicta est Religioso, etiam facultas renunciandi illi relicta esse videtur.

CASUS XI. Theophanes procurator vel sacrista monasterii interdum sibi applicat pecunias administrationis suæ ad procurandas sibi res vere ac certo necessarias. Peccatne mortaliter, si id fiat absque permissione Superioris? aut si petita licentia denegata ipsi fuisset?

ꝛ. In primo casu peccat mortaliter. *Religiosus, ait Cabafutius Jur. Can. Theor. L. 1. c. 22. usurpans sibi necessaria absque Superioris licentia, eoque inconsulto peccat mortaliter, ac dupliciter, tum ratione furti, tum ratione sacrilegii, contra paupertatis votum usurpando sibi proprietatem & dominium. In altero autem casu Theophanes non peccaret; cum Superior denegando licentiam irrationabiliter ageret ac contra justitiam: tunc enim, ut idem subjungit, Superior iste irrationabiliter invitus est, & subditus ille Religiosus habet ab ipsa naturæ lege jus suis necessitatibus succurrendi. Pontas.*

CASUS XII. Athanasius Superior monasterii ejusdam laxioris observantiæ quot annis cuilibet Religioso tradit 75 florenos, quibus ipsemet sibi vinum & vestimenta comparare debebat. Clemens parcius utendo his pecuniis œconomica sua industria corrasit summam 100. florenorum, quam apud se retinebat, in variis urgentibus necessitatibus usui futuram. Athanasius autem id sciens hoc peculium sibi tradi postulat custodiendum. Teneturne Clemens morem gerere huic jussioni Superioris?

ꝛ. Sylvius resol. var. v. *Religiosus. 5. ad similem casum sic respondet: Religiosi tenentur Superiori jubenti, vel petenti tradere, quicquid comparaverint, seu parce vivendo asservaverunt de pecunia, quam vel a Prælato, vel de Prælati permissione acceperint. Imo & antequam Superior petat vel jubeat, semper debent esse animo parati totum tradere mox ut, fuerint requisiti: alioquin committunt peccatum proprietatis. Idem tenentur Canonistæ ac Theologi fere omnes. Concilium Tridentinum Sess. 25. de Regul. c. 2. ait: Quod si aliquis quidquam*

quam tenere deprehensus aut convictus fuerit, is biennio activa & passiva voce privatus sit, atque etiam juxta suæ regulæ & Ordinis constitutiones puniatur. Hinc Clemens in conscientia tenetur memoratos 100. florenos Superiori tradere; nec eos sine ipsius permissione secum retinere potest, quin proprietatis vitium incurrat. *Pontas.*

CASUS XIII. Olodimirus Canonicus regularis Præmonstratensis in parochia quadam, cui ut Prior curatus præerat, constituit instituere ludimagistrum cum assignatione reddituum stabilium ac sufficientium. Coacervavit sibi suo ex Beneficio parcius vivendo 1500. florenos, eaque ex summa emit prædium rusticum, quod culdam agricolæ in feudum concesserat, sub onere annuatim solvendi 75. florenos. Hæc autem acquisitio facta est inscio Superiore Olodimiri, qui constanter negabat, ratum se habiturum contractum; ac rem etiam reprehensionem sustinuit Olodimirus suo ab Episcopo, quod hujusmodi pecunias ex parsimonia comparatas non impenderit in sublevamen pauperum parochiæ, & pro necessitatibus ecclesiæ parochialis. Sed cum negotium jam fuisset confectum, & aliunde etiam hic parochus esset persuasivus, se posse hunc fundum convertere pro suo arbitrio in pios usus, per testamentum a se conditum, destinavit dimidiam fundi partem pro institutione ludimagistræ ad perpetuos annos perduratura; alteram vero dimidiam assignavit pro fundatione duarum missarum singulis septimanis in perpetuum in solatium animæ suæ legendarum. Potuitne Olodimirus legitime acquirere hoc prædium? Et postquam acquisivit, num modo jam dicto de eodem disponere potuit? Teneturne successor ipsius in conscientia legere has missas? Num poterit sibi applicare stipendia ex iisdem percepta? An non magis convenit ea expendere in elemosynas pauperum, & indigentias suæ ecclesiæ ac in singulis missis solum meminisse Olodimiri?

ꝛ. Non potuit Olodimirus legitime ac propria autoritate hanc acquisitionem facere, manifesteque egit contra votum paupertatis & canones Ecclesiæ. Imo peccavit etiam contra justitiam coacervando & apud se retinendo summam adeo notabilem. Complevit vero peccatum suum per testamentum injustum ac nullum, continens duplam fundationem, & quidem alteram in propriam ac personalem ipsius utilitatem. Cumque testamentum hoc prorsus injustum ac nullum sit, successor ipsius obligari non potest, ut satisfaciatur ejusdem dispositionibus; sed rogandus erit iudex, ut

75. floreni annuatim solvendi dividantur inter ludimagistram, eoquod ejusdem institutio vere sit utilis, ac plurimum conducatur ad instructionem juniorum parochiæ puellarum, & inter pauperes parochianos. Successor tamen pie aget, si in missæ sacrificio animam Olodmiri Deo commendet. *Pontas.*

NOTA. Parochi aut Vicarii Religiosi expositi in parochiis etiam quoad temporalia incorporatis monasterio absolute nullam habent potestatem disponendi, nisi circa partem pertinentem jure veteri ad pauperes parochiæ, consulam & commixtam cum redditibus parochialibus.

CASUS XIV. Isidorus Superior monasterii, in quo quinque tantum vel sex reperiuntur Religiosi, potestne cuidam illorum jam morti proximo facultatem impertiri in favorem amici disponendi de libris suis, supellectile, & modica pecuniæ portione a consanguineo pro occurrentibus necessitatibus accepta?

R. Juxta Sacros Canones quidquid acquirit monachus acquirit monasterio, non sibi; cum ipsum omni jure proprietatis privet solemnne votum paupertatis, cui circa essentialia præjudicare non potest Superior regularis. Adeo verum est, inquit Emanuel Rodericus qq. Canon. & regular. Tom. 3. q. 69. art. 2. quod Prælati inferiori Papa non potest facere Religioso facultatem testandi, ut id intelligatur, etiamsi ad pias causas disponat. *Pontas.*

CASUS XV. Hierophilus Religiosus, a longo jam tempore confessarius sæcularium ordinarius in ecclesia monasterii sui, derepente mortuus est & sepulcho illatus. Paulo post ipsius Superior reperit in cellula ejusdem 500. florenos, nemine profus sciante, undenam vel cujus esset hæc summa. Etne Religiosus iste pro proprietario habendus? Quid faciendum de his pecuniis?

R. Non est temere nec præcipitanter judicandum de hoc Religioso; quia, cum per longum tempus sæcularium confessiones excepisset, fors hæc summa a non nemine ipsius custodia fuit concedita per modum depositi, aut ipsi tradita ad faciendam restitutionem, aut denique in illius manus deposita pro utilitate monasterii, nec tamen repentina morte præoccupatus eam Superiori tradere potuit. Omnes istæ præsumptiones rationi sunt conformes considerata conditione confessarii; maxime si vita ipsius ac conversatio fuit exemplaris, nec unquam circa vitium proprietatis sinistra suspitionis ansam præbuit. Ubi non apparent manifesta indicia de malitia alicujus, inquit S. Thomas 2. 2. q. 60. art. 4. debemus eum

eum ut bonum habere in meliorem partem interpretando, quod dubium est. Prudentis igitur Superioris erit, pecunias hasce per notabile tempus, v. g. unius anni spatio asservare; & si elapso hoc tempore nemo eas repetat, nec, cujus sint, innotescat, in pias causas erogare, præcipue in elemosynas, aut etiam in bonum monasterii, si tenues admodum sint facultates ipsius. *Pontas.*

Vide *Depositum.*

CASUS XVI. Nicodemus Canonicus regularis provivus Beneficio curato intra territorium sui monasterii privata auctoritate disponit de proventibus Beneficii sui casualibus, seu redditibus stolarum, eosque ad pios usus applicat. Potestne hoc facere tuta conscientia, quin peccet contra vota paupertatis & obedientiæ?

R. Juxta Navarrum Comment. 2. de regular. n. 10. & II. ac Sylvium resol. var. v. Religiosus 1. Nicodemus potest sic disponere de redditibus Beneficii sui fortuitis; idque Authores isti probant ex variis textibus juris, speciatim ex constitutione quadam Clementis V. Cap. Quoniam. 2. Lib. 3. Tit. 1. ubi Pontifex discrimen inter Religiosum Beneficiatum & Religiosum simplicem in eo posuisse videtur, quod ille habeat jus de redditibus Beneficii sui disponendi in causas pias, quin indigeat licentia Superioris sui. *Pontas.*

NOTA. Hæc vera sunt, si Beneficium est sæculare. Si autem est regulare, dicta solum procedunt de Beneficiis, in quibus viget adhuc divisio bonorum in quatuor partes; prout viget in Beneficiis incorporatis monasterio, in quo Navarrus professionem emiserat.

CASUS XVII. Pachomus Religiosus professus, vir apprime doctus, ac insigni pollens ingenio ambit munus Superioris per emendationem suffragiorum; illudque etiam consecutus est. An peccavit?

R. Absque omni dubio peccavit: si enim juxta S. Thomam non licet pro se petere Beneficium curatum, & solum simplex quærere licet illi, qui necessarias ad id qualitates possidet, eoque ad suam sustentationem indiget, multo minus Religioso permissum est officium Superioris affectare. Cum Pachomio peccarunt etiam suffragantes, qui ex ipsis ejusdem sollicitationibus ac machinationibus ambitionem illius deprehendere, ac eo ipso ut indignum rejicere debuissent. *Pontas.*

CASUS XVIII. Palemon Religiosus professus, quem reliqui Religiosi in Superiorem eligere cogitabant, convenerat cum quodam confratrum suorum, quod si ille sibi daret vo-

tum ad superioratum, ipsi daturus esset suum ad Provincialatum. An conventio hæc utrinque acceptata & executioni data non est vitiosa?

ꝑ. Certe est vitiosa, utpote continens quamdam speciem simoniæ; omnes enim ejusmodi conventiones circa spiritualia labe simoniæ commaculant contrahentes, saltem nisi accedat legitimi Superioris autoritas, id est, Papæ vel Episcopi, juxta naturam scilicet conventionis. S. Thomas 2. 2. q. 100. art. 6. C. expresse docet, simoniam committi, quando res spiritualis non datur gratuito, v. g. dignitas aut aliud officium monasterii. Hinc facultas Theologica Parisiensis 16. Julii 1658. merito ut falsam & juri canonico adversantem condemnavit sequentem propositionem: *Non est simoniacum, dum duo Religiosi conveniunt inter se hoc modo: suffragari mihi, ut promovear ad dignitatem Provincialis, & ego vicissim tibi suffragabor, quo promovearis ad dignitatem Prioris.* Pontas.

CASUS XIX. Fabianus Religiosus in quodam pago forte commoratus, rogatur, ut extremam unctionem administret cuidam ægotanti instanter hoc Sacramentum flagitanti; & cum parochus esset absens, nec alius sacerdos in parochia haberi posset, Fabianus decumbenti illud confert. Incurritne excommunicationem ipso facto latam a Concilio generali Viennensi anno 1312. sub Clemente V.?

ꝑ. Hæc excommunicatio eos tantum Religiosos afficit, qui temere in administrationem Sacramentorum sese ingerunt, eamque potestatem independentem a parochio sibi arrogant; ut ex ipsis Bullæ verbis depromitur. Fabianus autem non temere, sed optima fide egit, & ex unico charitatis motivo, dum rogatus in absentia parochi periculose decumbenti Sacramentum extremæ unctionis contulit. Hinc, cum non solum nullam culpam commiserit, quæ tamen ad incurrendam excommunicationem necessario requiritur, sed & bene fecerit ac laudabiliter, tam procul ab eo abest omnis excommunicatio, ut potius vituperandus esset, si in hisce circumstantiis ex superstitiosa scrupulositate id charitatis obsequium indigenti ac potenti exhibere renuisset. Pontas.

CASUS XX. Cyprianus Superior cujusdam conventus mendicantium non potuit ab Episcopo diocesano impetrare licentiam exponendi SS. Sacramentum in quibusdam diebus festis sui Ordinis; & hoc non obstantibus illud exposuit. Num peccavit?

ꝑ. Superior usurpavit sibi jus, quod privative spectat ad Episcopum, peccavitque contra obedientiam Ordinario suo debitam. Clerus Gallicanus art. 2. Constitutionum pro Regularibus conditarum omnibus Ecclesiasticis tam secularibus quam regularibus interdicit publicam SS. Sacramenti expositionem sub quocumque prætextu, nisi jubente aut saltem consentiente Episcopo; id quod jam antea a S. Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini interpretum anno 1644. decisum fuit. Pontas.

NOTA. De expositione SS. Sacramenti Rituale Augustanum part. 1. Tit. 13. hæc habet: *Nullibi Eucharistia exponatur, nisi ob gravissimas causas, & semper de licentia Episcopi; & quando faciendum erit, & concessa fuerit licentia, a quibuscumque etiam exemptis semper habenda, reverentia & pietas omnimodo serventur, sicut & ritus diocesani . . . Omnes ergo illæ solemnes expositiones, nisi ab Ordinario approbatae aut concessæ sint, abusus, & sacratissimi Mysterii inhonoratio potius dicendæ sunt, quam actus meritorii Religionis.*

CASUS XXI. Panthenes Religiosus duo enormia & scandalosa commisit crimina quorum in pleno Capitulo fuerat convictus. Ille sese offert ad agendam poenitentiam, quæcumque delictis suis proportionata videbitur. Superior & novemdecim Religiosi Capitulares eum ex conventu eiciendum judicarunt; viginti autem reliqui carceri mancipandum censuerunt ad sex menses; ad quam poenitentiam sustinendam promptissimum quoque exhibuit se delinquens. Potestne sine peccato ex religiosa communitate elici?

ꝑ. S. Thomas Quodlib. fin. art. fin. docet, Religiosum ejusmodi sine læsione charitatis ex communitate non posse eici; cum Ecclesia neminem puniat poena spirituali, nisi induratum & obstinatum in suo peccato. *Dicendum, inquit, quod nullus est nisi propter contumaciam expellendus; sed est sequestrandus in carcere, vel alio modo.* Pontas.

CASUS XXII. Olympius Religiosus Ordinis reformati cum in gravissimum impegisset flagitium, Superior instituta informatione juridica juxta constitutiones Ordinis contra eum hanc protulit sententiam, ut religioso habitu exutus per anni spatium in carcere teneretur. Sententia ad executionem deducta Olympius occasionem nactus est elabendi ex custodia. Potuitne sine peccato effugere? An non in conscientia tenebatur redire in carcerem? Id si non fecerit, commisitne novum peccatum assumendo habitum sæcularem, ut securius lateret?

g. Cum sententia in Olympium lata ex omni parte iusta esse supponatur, eidem in conscientia sese subdicere tenebatur, & redire ad carceres, ex quibus nunquam sine peccato potuit effugere: non tamen commisit novum peccatum, dum ad certiores sui occultationem assumpsit habitum sæcularem. Notandum tamen, quod, si sententia cum excessiva severitate fuisset executioni mandata, Olympius absque peccato ex carcere aufugere potuisset. *Pontas.*

CASUS XXIII. In pluribus conventibus Religiosorum mendicantium existat statutum particulare, quo expresse dicitur poena excommunicationis ipso facto incurrendæ contra eos, qui iudicii declinandæ causa ab Ordine contra se instituti vel instituendi implorant alium iudicem sive ecclesiasticum sive laicum. Palemon Religiosus hinc in circumstantiis comprehensus se convertit ad Episcopum; eo quod metueret, ne a Provinciali suo condemnatur ad carceres, vel ad jejunium nimis austerum. Incurritne excommunicationem?

g. Si agitur de facto solum concernente disciplinam regularem ac claustralem, Palemon non potest recurrere vel appellare ad Episcopum vel alium iudicem in casu, quo contra ipsum Superior agit criminaliter, quin incurrat excommunicationem; dummodo memoratum statutum a legitima potestate sit approbatum & confirmatum. Si vero agitur de casu, cujus cognitio pertinet ad Ordinarium vel alium iudicem etiam laicum, ad hunc absque omni periculo incurrendi excommunicationem tuta conscientia poterit recurrere Religiosus, ut sibi conformiter ad ipsa postulata jus dicatur. *Pontas.*

CASUS XXIV. Lucianus Religiosus fuit institutus iparochus titularis ad S. Jacobum, quæ parochia incorporata est monasterio a jurisdictione Ordinarii exempto, in quo professionem emisit. Cum autem commisset culpam gravem ac notabilem in administratione Sacramenti poenitentiae, Episcopus post iudicalem causæ cognitionem eum suspensum declaravit. Potuitne iuste sic contra ipsum procedere Episcopus?

g. Iustissime sic egit Episcopus contra hunc Religiosum in hoc casu: juxta Innocentium III. enim Cap. *Ex ore* 17. Lib. 5. Tit. 33. & Innocentium IV. Cap. *Volentes*. 1. Lib. 5. Tit. 7. in 6. omnis parochus de jure subiacet jurisdictioni Episcopi; quamvis parochia sit regularis, & incorporata monasterio exempto. Observandum hic, quod Episcopis etiam competat jurisdictio latissima in omnia Beneficia curata dependentia

dentia ab Ordine militari Melitensi, & quosvis Religiosos etiam exemptos eorum jurisdictioni esse subjectos, si attentant prædicare in diocesi invito Episcopo, si absque iusta causa publicis processibus institutis ab Episcopo interesse recusent, si a casibus Episcopo reservatis absolvere ausi fuerint, si extra suum monasterium in diocesi commorantes delictum committerent castigatione dignum, si parochiam ab Episcopo dependentem administrare præsumpserint. Cabassutius addit tres alios casus, qui sunt crimen hæresis, scandalum publicum, & seductio mulierum per confessionem. *Pontas.*

CASUS XXV. Amadæus Religiosus clam absque dimissionem & obedientia discessit ex suo monasterio, quod jurisdictioni Episcopi subiacet. Audiens jam Episcopus, eum in quadam parocia suæ diocesis vicarii munus exercere, iussit ipsum comprehendere & custodiæ tradi. Potestne Episcopus eum punire absque participatione Superioris regularis, Religiosum sibi tradi postulantis?

g. Episcopus potest, imo etiam debet punire hunc Religiosum, utpote i jurisdictioni suæ ordinariæ subiectum, ac consequenter sub sua potestate constitutum. Idem jus asserit Episcopus Concilium Tridentinum Sess. 25. de Regular. & *Monial.* c. 4. etsi Religiosus in ejusmodi casu non subellet jurisdictioni Episcopi. *Nec liceat Regularibus, inquit Patres Concilii, a suis conventibus recedere, etiam prætextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi aut vocati fuerint. Qui vero sine prædicto mandato, in scriptis obtento, repertus fuerit, ab Ordinariis locorum tanquam desertor sui instituti puniatur.* *Pontas.*

CASUS XXVI. Potamius cum Religionem professus esset in Ordine non reformato, vehementer urgetur ac identidem stimulatur a Victorino, ut relicto suo monasterio transeat ad Ordinem strictiorem. Peccatne Victorinus sic hortando?

g. Juxta S. Thomam 2. 2. q. 189. art. 9. ad 3. non peccat Victorinus. Ratio S. Doctoris est; quia in majori includitur minus. Aliud dicendum foret, si Potamius voto aut juramento se obstrinxisset ad emittendam professionem in Ordine reformato: tunc enim Victorinus non posset eum hortari, ut transeat ad Ordinem laxiorem, nisi ex aliqua speciali causa, iusta ac evidenti, idque cum legitima dispensatione Superioris. *Pontas.*

CASUS XXVII. Christophorus Religiosus professus sæissime velut homo triobolaris despicitur, calumniis appetitur, & aliis modis quam indignissime habetur a suo Superiore, qui ex falsis rumoribus ac injustis delationibus eum